









415  
DISPUTATIO. JURIDICA. ORDINARIA. 472.

De  
SUCCESSIONE  
EX LINEA 1685, 17

QUAM  
SUB PRÆSIDIO

JOH. WOLFG. TEXTORIS.  
JCTI. Antecessoris Juris & Con-  
filiarii Electoralis Palatini. P. P. Cod. (2)

Ad d. II. Nov. 1685.  
h. l. q. f.

Defendendam suscipiet  
ALBERTUS à BOSTEL,  
HAMBURG.



HEIDELBERGÆ,  
Literis SAMUELIS AMMONII, UNIVERS. Typogr.



DISPUTATIO JURIS IN ORDINARIA

SUCCESSIONE  
EX LINEA

JOH. WOLFG. TEXTORIS

JOH. WOLFG. TEXTORIS  
CIT. Annotator Juris & Con-  
sultor Historiae Patriae P. P. Cod.

Alba Nova

ALBERTUS APOSTEL  
HAMBURG

HEIDELBERG

1772







C. D.

THESIS I.



Successio in jure duplex est Universalis & particularis, illa fit in universum jus defuncti, & proprie venit Hæreditatis nomine l. 24. ff. de V. S. Hæc ratione quarundam rerum, & vel specie Universalitatis, vel certæ rei singularis.

Thes. II.

Præsens nostra disputatio agit de successione posterioris generis, quâ nimirum non patrimonium defuncti quâ tale & universum, sed certæ res ab hæreditate exemptæ sive lege, sive consuetudine sive pacto per mortem antecessoris deferuntur.

Thes. III.

Neque de eo omni genere agimus, sed quatenus succedendi ratio est Linea, quam breviter describimus personarum seriem à communi sanguinis & agnationis stirpe descendentium, hæc scilicet pro materia substrata, nec enim incognitum est, lineam etiam in materna cognatione dari, sed quia in ea ut plurimum cessat nostræ disputationi proposita ex linea successio, agnationis vocabulum quod necessitudinem vel cognationem à patre indigitat annectere placuit.

Thes. IV.

Secundum quæ jam constat præcipuum hujus materiæ





Thema , quærimus enim , an , & quando successio a...  
pro fundamento habeat lineam excluso gradu vel proximio-  
re , vel æquali lineæ non particeps ?

Thef. V.

Qua in materia ; quia singularis textus in jure feudali  
habetur 2. F. 50. placet ejus verba adscribere quæ hæc sunt :  
*dummodo scias quod si quis habens beneficium , quatuor supersti-  
tibus filiis decedat , & feudum ad unum solum ex divisione de-  
veniat , & ipse superstitibus filiis duobus vel tribus decedat , qui  
patruales dicuntur ad quorum unum feudum similiter pervenit :  
Sicut etiam ex aliis superioribus vel primis fratribus supersunt  
masculi : si ille qui feudum habet decesserit nullo filio relicto , an  
omnes , vel ad quos perveniat , queritur ? Respondeo ad  
solos & ad omnes qui ex illa linea sunt ex qua iste fuit . Et hoc  
est quod dicitur ad proximiores pertinere . Isti verò proximiores  
esse dicuntur respectu aliarum linearum , sed omnibus ex hac linea de-  
ficientibus omnes alia linea æqualiter vocantur .*

Thef. VI.

Casum specialem hic proponi satis indicat contextus  
præcedens , ubi regula de successione feudi adducta &  
explicata est , cui verba præcedenti Thefi adscripta in mo-  
dum exceptionis subjunguntur , est autem casus talis , ubi  
per observantiam ex diversis hæreditariarum divisionum acti-  
bus stabilitam Feudo uni ex filiis defuncti assignato , linealis  
feudi successio introducta est , de qua Feudista asserit , quòd  
soli qui ex linea sunt præferantur , & quod hi proximiores  
sint respectu aliarum linearum .

Thef. VII.

Priusquam verò textum penitius consideremus , duo  
sunt notandi errores , unus ipsius Feudistæ , qui fratres ex  
eodem patre natos , ( nec enim sine divinatoriâ aut violen-  
tâ in-





tâ interpretatione textum feudalem aliter intelligere licet) putat dici patruales, cum contrarium constet ex Paulo Jcto latino sermoni assuetiore *l. fin. §. 15. vers. eodem gradu ff. de grad. & affin.* Cui patruales dicuntur non fratres ab eodem patre sed filii à fratribus geniti, quod & habetur *in §. 4. Inst. de grad. cogn.* Verum hic error nominis tantum est, & injuriæ temporum, quibus barbaries latinum idioma infecerat condonandus.

Thef. VIII.

Alter error quorundam est Jctorum celebrati nominis quos studio præterimus, qui ex textu nostro generalem regulam, quod in feudis præcise ex linea succedatur, qualiacunque feuda sint sustinere voluerunt, sed quia textus ipse ut præmisimus specialem casum regulæ subjungit, hinc quidem nova regula tanquam limitatio prioris nascitur, quæ firma est in feudis individuis, non verò ad omnia feudorum genera veluti non Regalia ignobilia & vulgaria pertinet.

Thef. IX.

Sed ut ad Textum nostrum revertamur, constat satis eo casu non in totam familiam introductam esse sed certam tantum lineam vasallorum hoc jus, ut feudum uni soli ex vasalli filijs fuerit assignandum idque ex observantia, unde colligere licet, quod jus primogenituræ usu & consuetudine introduci possit sicut lege.

Thef. X.

Non equidem præcise hoc affirmamus fuisse feudum in hoc casu primogenito devolutum, sed est tamen verosimile primogenito magis, ut in Regnis gentium consuetudine obtinuit feudum placuisse relinqui, quàm fratri secundo genito vel ulteriori, deinde & hoc constat cum



jus illud primo genituræ aut simile , tantum in successioni-  
bus lineæ rectæ antea usu observatum sit , tamen deficien-  
te prole masculina ultimi possessoris etiam in collateralium  
successione pro fundamento fuisse , cur hi agnatis aliarum  
linearum de eadem familia, sive gradu fuerint proximiores  
sive non, in successione Feudi debuerint præferri, scribit  
enim disertis verbis Feudista: *ad solos & omnes qui ex illa linea  
sunt ex qua iste* (ultimus possessor Feudi qui sine prole ma-  
sculina decessit) fuit feudum debere pervenire.

## Thes. XI.

Plane hoc ex textu similiter patet agnatos illos Collate-  
rales qui in successione Feudi intuitu lineæ prælati sunt fuis-  
se de eadem linea ex qua possessor ultimus quod convin-  
cunt verba textus Thesi præcedenti modò relata , sed talis  
fuit casus & species facti quam Feudista resolvit, ratio verò  
decidendi eadem est , quamvis successores collaterales ex li-  
nea diversa sint proximiores tamen respectu alterius lineæ uti-  
que eo casu quo feudum vel per legem publicam, consuetu-  
dinem vel per pactum respectu totius familiæ uni tantum  
debet obvenire indivisim.

## Thes. XII.

Etenim quod jus ex observantia familiæ secundum  
feudistam ideo introductum est in linea , quia in eadem  
illa linea feudum uni tantum multis vicibus in successione  
est devolutum hoc jus non minus ad totam familiam &  
omnes lineas inter se pertinere debet , quoties vel lege  
publica , vel usu & consuetudine successio ad unum tan-  
tum devolvitur in tota familia & omnibus lineis, si enim  
in casu Feudistæ aliis quoque lineis idem jus fuisset recep-  
tum, aut lege publica ad eos pertinuisset , non minus unâ  
lineâ extincta altera proximior vocata esset, quam proximi-  
ores



miores ejusdem lineæ ultimo possessore defuncto sine filiis, penitus excluso in ulterioris lineæ agnatis proximitatis gradu.

Thef. XIII.

Hanc esse veram mentem textus feudalis, conspicuum erit si consideremus verba, refertur verò inter facti circumstantias, quod feudum ter fuerit devolutum ad unum ex filiis defuncti vasalli, quæ verba sanè frustra posita non sunt, sed haud obscure in illis ponitur momentum decidendi pro lineali successione, præmisit enim Feudista regulam successionis feudi generalem & *in vers. dummodo scias* sollicitè refert casum, quo explicat, quid sit ad proximiores feudum devolvi nempe ad proximiores de linea, ubi feudum ex observantia ad unum aliquoties pervenerit, quorsum enim attinisset tam accuratè recensere tres successionum vices, quibus feudum in linea recta uni tantum ex filiis obvenerit, si seclusa illa facti circumstantia trinæ devolutionis feudi ad unum eadem fuisset decidendi ratio?

Thef. XIV.

Quod si igitur linealis successionis fundamentum est devolutio feudi ad unum adeo ut hanc qualitatem feudo inducat, etiam in successione collaterali, sicut docet textus noster necessario dicendum erit, ubicunque respectu unius lineæ tantum id obtinet, scilicet ut feudum ad unum deveniat ibi etiam respectu illius lineæ tantum præferri proximitatem ex linea ut in casu feudistæ; ubi verò respectu totius familiæ feudum ejus est qualitatis, ut uni tantum obvenire debeat, ibi etiam intota illa familia & omnibus lineis rem ita comparatam esse, ut proximitas lineæ attendatur ante gradum, & per consequens ad eum tantum extinctâ una linea inter collaterales pertineat successio feudi, qui est  
inpro-



in proxima linea (sive in lineis remotioribus sint gradu proximiores sive non) agnatus gradu proximus prout in terminis hanc rem declarat juris feudalis doctor insingis Andr. de Isernia *in d. c. 50. vers. dummodo scias.*

Theol. XV.

Ratio plane hoc idem concludit ultra textum feudalem, si enim necesse est in feudis, quæ ad unum deferuntur, extinctâ una linea, succedere unum quendam ex linea diversa, & verò contingere potest, ut pares gradu adsint agnati ex diversis lineis, quemadmodum in familia Archipalatina contigit superiori seculo, dum morte Ottonis Henrici Electoris extingueretur linea Ludovici Barbati, ubi Fridericus III. ex Simmerensi linea & Georgius Johannes ex Veldeccensi pares gradu erant, ne hoc absurdum adstruendum sit tali casu ubi feudum apertum nondum est lineas sibi invicem impedimento esse in successione Feudi individui, necessario asserendum erit extinctâ una linea quod etiâ in hoc exemplo contingit non minus attendi lineam proximam collaterallem præferri que aliis remotioribus quam id ipsum observaretur, dum supersunt ejusdem lineæ agnati, qui indubie præferuntur aliarum linearum agnatis præcluso respectu gradus.

Theol. XVI.

Atque hoc ipsum est, quod Doctores volunt, dum agnatos collaterales sub linea extincti ultimi contentivè, ut loquuntur, non effectivè comprehendunt, uti præcæteris eleganter explicat Curtius Junior. *vol. 1. cons. 5. n. 10. add. eum alleg. Matth. de Afflict. in d. c. 50. vers. dummodo scias. n. 3.* perinde est ac si dicerent, quamvis linea collateralis alia per verum descensum sub extincta non comprehendatur, tamen quia descendit utraque ab eodem Stammate in quo jam ut ita loquamur radicatum fuit jus primogenituræ vel quod



quod simile in feudo, virtute hujus complexus & originis successio de linea ad lineam porrigitur perinde ac si à linea priore extincta nova quæ succedit verè descenderet.

Thef. XVII.

Quâ ex re fit dum linea nova succedens etiam in plures ramos vel lineas subordinatas discernitur, ut non ad totam lineam uno eodemque successionis casu, sed ad ratum primogeniti & ad gradu proximum ex eo ramo jus succendi pertineat, *Petr. Fontan. decis. Cathal. 34. n. 7. item n. 12. & seq.* ubi ex Franc. Sousâ & Molinâ de primog. Hisp. eleganter refert, quòd primogenitus constituat primum caput ex lineâ descendentium secundo verò, genitus secundum & quòd secundogenitus constituat suam lineam, per quam se ipsum & suos descendentes includat ad effectum ut deficiente lineâ primogeniti & ejus descendentium quosvis alios ex sequenti excludant, & sic de reliquis.

Thef. XVIII.

Atque hæc ratio est cur in casu feudistæ quem supra retulimus in aliis lineis collateralibus non pariter successio linealis ut in linea priori extincta locum habuerit, quia scilicet neutro modo nec effective, hoc est per verum descensum à linea extincta originem habuit, nec contentivè quamvis enim à communi stipite una vel altera linea collateralis cum priore extincta descenderit quia aliter non fuisset locus juri succedendi in feudo juxta *text. 2. F. 11.* tamen in communi illo stipite non obtinuit jus successionis per speciem primogenituræ vel indivisim.

Thef. XIX.

Ubi non requirimus ut comunis stipes actu tanquam primogenitus successerit sed sufficit quod succedere potuisset, si sua ætate talis casus extinctæ lineæ prioris contigisset, hoc

B

enim



enim jus deinceps de volvit ad omnes ex se descendentes lineas & personas, ut quoties casus successionis in feudo evenerit, toties succedat linea proxima & quæ ex ea est gradu proxima persona, sive in linea remotiore sint, sive non sint personæ gradu proximiores,

## Thes. XX.

Hæc succedendi ratio in Regnis obtinet & principibus, sed & in aliis feudis respectu totius familiæ individuis, uti jam supra ab evitando absurdo argumentati sumus, ne scilicet si plures essent ex diversis lineis pari gradu dicendum sit deficere successionem legitimam agnatorum familia nondum extincta lex enim vetat successionem dividi, ergo aut nulla erit successio aut (quod sustinendum est) deferretur uni virtute lineæ.

## Thes. XXI.

Neque aliud censeretur in casu, ubi ex linea remotiore gradu adest propinquior, eo qui est de priori linea proximus, quem enim propter impedimentum anterioris lineæ, paritas gradus nil juvat ad successionem, hunc gradus ut ita loquar prioritas, nec juvare poterit ad excludendum alium à successione, durante scilicet eodem impedimento anterioris lineæ, hoc enim est, ut feudista loquitur, esse proximum.

## Thes. XXII.

Et hoc ex supra jam exposita ratione devolutionis feudi ad unum satis pervincitur, quamdiu enim feudum uni obvenit ex successione, tamdiu vult feudista attendi lineam ante gradum, quo jure propter decessionem lineæ in quam solam ista qualitas introducta erat, cessante, feudum in casu quem feudista resolvit jam recepit priorem suam naturam & ad reliquas lineas non participes ejus juris, quo feudum

uni



uni tantum obvenire debuit iterum devolvitur ex æquo; aliud verò dicendum, ubi feudum ad sequentem lineam adhuc indivisum transit, quia tunc uti ratio eadem manet ita eadem linealis successio, ut nimirum collateralis linea proxima extinctæ surrogetur.

Thef. XXIII.

Subsumamus nunc in Regnis, Principatibus & fidei-  
 commissis primogenituræ aut majoratus eam esse successio-  
 nis rationem, ut uni tantum obveniant, quamdiu aliquis de  
 familia superest, non poterit non concludi in tota illa succes-  
 sione attendi lineam antegradum hoc amplius in feudis Im-  
 perii regalibus jus individuae successiois ex lege Frid. I. Imp.  
 2. F. 55. §. 1. *vers. præterra constabatur*, & specialiter in  
 Electoratibus Secularibus vigore legis Carolinæ quæ tam  
 partes, quàm officia ab Electoratibus segregari vetat.

Thef. XXIV.

Quinimò non ex ea tantum ratione, sed etiam ex  
*Tit. 7. A. B. vers. ne inter* quo loco de successione Electoratum  
 secularium disponitur hoc idem colligere licet, ubi notanda &  
 ratio quæ legislatorem movit cur ita constitueret & dispo-  
 sitio hæc duos casus expressis verbis complectitur, unum  
 in linea recta qui hic est, ut si Electores seculares ejus tem-  
 poris decesserint jus successiois in Electoratu pertineat ad  
 cujusque filium primogenitum aut eo forsan præmortuo  
 ad primogeniti primogenitum.

Thef. XXV.

Quod verò de Electoribus qui tempore Caroli IV. Im-  
 peratoris Electoratibus præfuere disponat Constitutio pro-  
 bant verba ibi: Ne inter EORUNDEM principum secu-  
 larium Electorum filios &c. & paulò inferius ibi. Post-  
 quam IIDEM Principes Electores, seculares & EORUM  
 QUI-



QUILIBET esse defierint &c. ubi particulæ relativæ eorundem & iidem item verba & eorundem quilibet satis commonstrant Carolum legislatorem loqui de iisdem Electoribus secularibus quos in verbis præcedentibus nominaverat, & tempore præsentis dixit esse veros & legitimos Electores.

## Thes. XXVI.

Alter casus Carolinæ legis in linea Collaterali hic est : quoties primogenitus Electoris filius, vel nepos ex primogenito decesserit sine filio legitimo, toties ad ejus fratrem seniore Laicum & deinceps ad illius primogenitum Laicum successio deferatur, ex quibus apparet legem Aureæ Bullæ circa successionem Electoratum juxta corticem verborum non videri disponere ultra nepotes Electorum qui ætate Caroli IV. vixerunt, nec in recta, nec in Collaterali linea.

## Thes. XXVII.

Si verò inspiciamus rem ipsam & dispositivam rationem Legislator collimat non tantum usque ad tempora nepotum, sed in omne ævum subsequens ut publicæ Imperii tranquillitati prospiciatur, ne emergente Electionis Cæsareæ casu propter jus eligendi dissidia sint inter filios Electorum, uti patet ex d. vers. *ne inter*, præcipue verò ex vers. *Et talis successio &c.* ubi apertè Carolus IV. Imperator vult formam in successione Electoratum Secularium ratione primogenituræ à se præscriptam perpetuis temporibus observari, per necessarium consequens ut finis hic obtineri posset, non potest non hac sua dispositione voluisse, ut tam in linea recta quam Collaterali primogenitus primogeniti succederet, adeoque deficiente rectâ linea non gradu proximus ex remotiore linea sed qui proximus esset ex linea collaterali cujus li-

næ



neæ primus pater si viveret, vinceret primum patrem alterius lineæ in successione Electoratus præferratur, alioquin si tantum publicam Imperii tranquillitatem procurasset usque ad nepotes minime gentium obtinere potuisset finem suæ legis, exclusionem scil. perpetuam dissensus inter posteros Electorum circa jus eligendi Cæsaris.

Thef. XXVIII.

Quo pertinet quod Carolina lex in linea Collaterali expressam faciat mentionem filii per veram lineam paternam descendens ad indigitandum potissimam esse considerationem lineæ, ut scil. successurus ex ordine collateralium pro se habeat qualitatem veræ lineæ & insuper in eadem (quicquid sit de gradibus remotioris lineæ) prærogativam gradus, quæ res cum identidem respondeat Bullæ Sigismundi, ut juxta lineam paternam deferatur successio Electoratus, tantò firmiter argumentum facit pro prærogativa lineali.

Thef. XXIX.

Non obstat huic assertioni primo, quod successio feudorum indubio fiat juxta regulam successionis ab intestato de jure civili quæ gradus præfert, quia hoc verum est non absolute ut patet exemplis successionis ascendentium & cognatorum quæ utraque jure civili obtinet, non verò pariter jure feudali, deinde regula illa præcipue fallit quoties lege vel consuetudine feudali aliud specialiter introductum est, sicut in feudis quæ uni indivisim per successionem obveniunt ex d. c. 50. pluribus est deductum, non obstant secundò exempla quibus olim in familia Electorali Saxonica extincto primogenito Rudolpho non ad secundogeniti præmortui filium Albertum sed ad Tertio-genitum fratrem Wenceslaum, item in familia Palatina, ubi non ad secundogeniti





niti filium Ottonem Henricum, sed ad tertio genitum Fridericum successio Electoratus pervenisse refertur.

Thef. XXX.

Respondemus enim hæc exempla ad factum pertinere non ad jus, adeoque non posse pro vero fundamento interpretandæ Aureæ Bullæ allegari, quia eadem ratio militat secundogeniti relictæ filii ad patrum tertio genitum, quæ primogeniti filii ad secundogenitum patrum est, repræsentatio nempe, & propter eam primogenituræ qualitas, ut sentit Arumæus *ad. d. tit. A. B. th. 6.* Ratio rationis, quia secundò genitus momento quo nascitur, jus succedendi in Electoratu præ tertio quæsitum ac radicatum habet, quod ejus stirpi ac lineæ quamdiu in ea habilis quispiam superest adimi nequit, & sicuti non fit transitus ad secundam lineam, nisi deficiente prima, ita nec de secunda linea debet fieri transitus ad tertiam, nisi secunda linea exspiraverit penitus sunt verba Rümelini *ad A. B. p. 1. dissert. 6. th. 16.* ubi suæ assertioni *Castrens. lib. 2. cons. 164. n. 5. & Rol. à Valle vol. 4. cons. 39. n. 47.* consentientes allegat *add. Fontan. ubi supra th. 17.*

Thef. XXXI.

Quæ planè consentanea sunt supra jam ex textu tam consuetudinum feudalium quàm legis Carolinæ propositis, verùm hæc generalia sunt ad successiones Regnorum Electoratum Principatum Feudorumque & fidecommisso- rum primogenituræ pertinentia, sed Serenissimus Elector Palatinus Dominus noster clementissimus plura alia habet fundamenta pro prærogativa lineæ suæ in successione Electoratus, nempe Bullam Sigismundi Imperatoris, quæ specialiter ad familiam Palatinam pertinet, & lineam præfert, *vid. Gold. tom. 1. Imp. const. pag. 398. 399. & 400.* ubi integrum hujus Bullæ refert tenorem, *add. Limn. ad A. B. D. tit.*



*d. tit. 7. §. 2. obs. 16. & 17. pacta itidem, Seren. Elector noster pro successione sua habet gentilia Domus Neoburgicæ inita cum extincta linea Electorali, confirmationem Instrumenti pacis, art. 4. §. 10. & novissimè investituram Electoratus à Sacra Cæsarea Majestate collatam, quæ omnia explicare nec præsentis Instituti est, nec nostrarum pagellarum angustia permittit.*

*Thef. XXXII.*

Denique successor Electoratus ut in aliis Principatibus secundo genitis & ulterioribus sine dubio de apanagio tenetur, nec non filiabus Electoralibus de dote, uti exemplis docent in familia Palatina tabulæ Justrum. Pac. Quæ res tamen eò extendenda non est, ut etiam ad casus cum viduarum hæredes repetunt dotem segregata allodiali hæreditate pertineat, sed hæc tantum attingimus, & studio brevitas hanc disputationem concludimus.



## C O R L L A R I A.

I.

*Clausula Constituti differt à remedio l. Creditores C. de pignor.*

II.

*Remedia I. diffamari §. C. de ingen: manumiss. & l. si contendat 28. ff. de fide jussor. inter se differunt & à genuino sensu textuum ut in praxi observantur, deflectunt.*

III.

*Pignorationes sine aliis requisitis constitutionum Imperii sufficiunt quidem ad pœnas juris communis puta nov. 52. non verò ad mandata super pignoratitia constitutione inter status Imperii.*

IV. Pro-



## IV.

*Proprietatem in feudo posse praescribi & non posse praescribi verum est sub distinctione.*

## V.

*Frater germanus excludit consanguineum à successione fideicommissi familia, non verò à successione feudi.*

## VI

*Juramentum non vitiosè praestitum excludit & à beneficio a-tis adultos, & ab hereditatibus renunciantes quod renun-ciatio simplex quoad futuras hereditates prestare nequit.*













ULB Halle 3  
002 703 793



Sbc


V077











415

DISPUTATIO. JURIDICA. ORDINARIA <sup>2</sup> 472.

*De*  
SUCCESSIONE  
EX LINEA <sup>1685, 7</sup>

*QUAM*  
SUB PRÆSIDIO

JOH. WOLFG. TEXTORIS.  
JCTI. Antecessoris Juris & Con-  
filiarii Electoralis Palatini. P. P. Cod. (2)

*Ad d. II. Nov. 1685.*  
*h. l. q. f.*

Defendendam suscipiet  
ALBERTUS à BOSTEL,  
HAMBURG.



HEIDELBERGÆ,  
Literis SAMUELIS AMMONII, UNIVERS. Typogr.

